

Der folgende Text (I.) soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden!

I. Text

C. PLINIVS PONTIO SVO S.

Ais legisse te hendecasyllabos meos; requiris etiam, quemadmodum coeperim scribere, homo, ut tibi videor, severus, ut ipse fateor, non ineptus.

5 Numquam a poetice (altius enim repetam) alienus fui; quin etiam quattuordecim natus annos Graecam tragoediam scripsi. 'qualem?' inquis. nescio; tragoedia vocabatur. mox, cum e militia rediens in Icaria insula
10 ventis detinerer, Latinos elegos in illud ipsum mare ipsamque insulam feci. expertus sum me aliquando et heroo, hendecasyllabis nunc primum, quorum hic natalis, haec causa est. legebantur in Laurentino mihi libri Asini Galli de comparatione patris et Ciceronis. incidit epigramma Ciceronis in Tironem suum. dein,
15 cum meridie (erat enim aestas) dormiturus me recepissem nec obreperet somnus, coepi reputare maximos oratores hoc studii genus et in oblectationibus habuisse et in laude posuisse. intendi animum contraque opinionem meam post longam desuetudinem perquam
20 exiguo temporis momento id ipsum, quod me ad scribendum sollicitaverat, his versibus exaravi:

Cum libros Galli legerem, quibus ille parenti ausus de Cicerone dare est palmamque decusque,
25 lascivum inveni lusum Ciceronis et illo spectandum ingenio, quo seria condidit et quo humanis salibus multo varioque lepore magnorum ostendit mentes gaudere virorum. nam queritur, quod fraude mala frustratus amantem paucula cenato sibi debita savia Tiro
30 tempore nocturno subtraxerit. his ego lectis 'cur post haec', inquam, 'nostros celamus amores nullumque in medium timidi damus atque fatemur' Tironisque dolos, 'Tironis nosse fugaces blanditias et furta novas addentia flammis?'

35 Transii ad elegos: hos quoque non minus ceeleriter explicui; addidi alios facilitate corruptus. deinde in urbem reversus sodalibus legi; probaverunt. inde plura metra, si quid otii, ac maxime in itinere, temptavi. postremo placuit exemplo multorum unum separatim hendecasyllaborum volumen absolvere, nec paenitet. legitur, describitur, cantatur etiam, et a Graecis quoque, quos Latine huius libelli amor docuit, nunc cithara, nunc lyra personatur.

II. Sprachliche Erläuterungen

zu Zeile 11:

Erläutern Sie, was mit dem Begriff *herous* bezeichnet ist!

zu Zeile 13/14:

Erläutern Sie kurz (jeweils maximal drei Sätze), wer *Asini Galli pater* und *Ciceronis Tiro* waren!

zu Zeile 22/23:

Geben Sie eine metrische Analyse der beiden ersten Verse des Gedichts!